



OTto 3 eius nominis, Comes à Scheyrn & Pa-
 latinus in Vuietlespach Bauarię, magni ani-
 mi princeps, reliquos belli duces suo tempore faci-
 le superauit. Erat enim corporis proceritate, pru-
 dentia, & dexteritate rebus agendis præstantissi-
 mus. omnes bonos uehementer amabat, & malos
 detestabatur. domi forisq; consilio & manu prom-
 ptus, frigoris atq; inedię patientissimus fuit. Hic
 primo Friderici Barbarossę armiger, postea hinc
 inde legatus, & tandem ob fortitudinem Aquilifer
 factus est. Sæpius is suscepta legatione in Italiam,
 Galliam, Græciam, & Germaniam ad pontificem
 Imperatorem Gręcum, & ad alios principes orbis

protectus, strenuam operam Cæsari & Reipubl. Germanorum præstitit. Ut
 autem pacis tempore mitis, ita belli acerrimus hostiũ uindex fuit. itaq; omnes
 ingenij neruos militari disciplinæ intendit, atq; hac ratione Imperatori, equiti-
 bus, militibus, & populo gratissimus extitit. Cum aut̃ Imperator in Italiam sæ-
 pius exercitu p̃ficisceretur, hũc Ottonẽ Aquiliferũ & belli ducẽ cõstituit, ubi
 etiã præclara multa facinora fortiter ædidit. Accidit aut̃ ut Mediolanenses Im-
 peratori rebellarent, atq; urbẽ Alexandria in amorẽ pontificis & odiũ Frideri-
 ci Imperatoris conderent. Itaq; Cæsar sextò magna animi fortitudine Italiam
 cum exercitu petit, & Alexandriam captam solo æquat. Vbi Otto optimi du-
 cis & militis officio functus est. De eo Guntherus Poëta.